Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

apostoli humiliantur ut exaltentur. discipuli tui eleuantur ut corru
ant. Fidem adulans uiduae non erubescis dicere pietatem quae nusquam
repperiatur in terra. et ueritatem quae ubique peregrina sit. in illa potissimum
commorari. nec recordaris illius sententiae. popule meus qui te beatum dicunt.
seducunt te. et semitas pedum tuorum supplantant. laudasque eam dei
uocibus et dicis. O te felicem nimium. o beatam. Si iusticia quae esse iam non nisi
in celo creditur. apud te solum inueniatur in terris. docere est hoc.
an occidere. leuare de terra. an praecipitare de celo. id mulierculae
tribuere quod angeli non audent usurpare. Si in hac pietas. ueritas.
atque iusticia. non inueniuntur in terris nisi in una muliere. ubi erunt
iusti tui. quos absque peccato in terris esse iactabas. Quae duo capitula
orationis et laudis soles cum tuis iurare discipulis non esse tua cum perspi
cue stili tui splendore luceat et tanta sit uenustas eloquii tulli
ani. ut testitudo incedens gradu. quae secreto doces mittisque uenalia.
publice non audeas profiteri. O te felicem. cuius praeter discipulos nemo descri
bit libros. ut quicquid uideris displicere. non tuum sed alienum esse contendas.
Et quis ille tanti erit ingenii. ut leporem sermonis tui possit imi
tari. C. Non possum ultra differre. omnis uincitur paciencia. urorque
iniquitate uerborum. Oro te quid infantuli peccauerunt. Hec est scien
tia eis imputari potest nec ignorantia qui iuxta Ionam prophetam manum — delicti
dexteram nesciunt et sinistram peccare non possunt. et possunt perire.
Genua labant. uagitus uerba non explicant. balbutiens lingua ri
detur. et eternis cruciatibus miseris praeparantur. A. Nunc uero disertus
esse cepisti. non dicam eloquens. praequam discipuli tui uersi sunt in magistros.
Antonius enim orator egregius. in cuius laudibus tullius personat. disertos
ait se uidisse multos. eloquentem adhuc neminem. Noli quaeso mihi orato
rum. et non tuis floribus ludere per quos solent imperitorum atque puerorum
aures decipi. sed simpliciter dic quid sentias. C. Hoc dico. concede mihi
saltem eos esse absque peccato. qui peccare non possunt. A. Concedam si in
Christo fuerint baptizati. Hec dico me tenebis in assensum sententiae
tuae. quam dixisti posse hominem sine peccato esse si uelit. isti enim nec
possunt. nec uolunt. sed sine ullo peccato per dei gratiam sunt quam in baptis